

IO. AVG. ERNESTI

P R A E F A T I O  
AD EDITIONEM QVINTAM

Cum primum ad hos libros Xenophontis separatim edendos adiiciebamus animum, omnis ratio instituti nostri spectabat iuuentutem, quae in scholis, in primisque ea, quam tum regendam acceperamus, ad litterarum graecarum latinarumque scientiam erudiretur. Existimabamus, nihil his libellis accommodatius esse, et ad linguae graecae elegantioris ingenium cognoscendum, et ad rationem bene eleganterque differendi perspiciendam, denique ad rectum venustatis simplicis et incorruptae sensum, in verbis, sententiis, et toto orationis habitu assumendum, praesertim his, qui eodem tempore Ciceronis libros tractarent, in primis de philosophia scriptos, in quibus eum ad Xenophontiae orationis formam direxisse imitandi studium appareret. Non fefellit mea mea opinio ac spes: sensique, meis plurimum profuisse ad eas res omnes horum libellorum lectio nem; quam et iucundam iis esse, saepe in ipso interpretandi actu animaduerti. Nec dubito, si quid mea opera profuit ad litterarum graecarum studia in his terris instauranda et incendenda, in ea re plurimum hos libellos valuisse; praesertim cum multi scholarum aliarum magistri meum institutum imitarentur: quae res etiam fecit, ut saepe necessitas nouorum exemplorum veniret. Nam etiam fuerunt de disciplina nostra, qui ita Xenophontis dulcedine capti essent, ut etiam ceteros eius libros, praesertim qui de Socratico genere essent, cognoscere stuperent, eosque separatim edere a se correctos et illustratos instituerent. In quibus fuere, *I. A. Bachius*, litterarum graecarum et latinarum, idemque iuris exquisita scientia praeditus, qui libellos Xenophontis ex hoc genere minores edidit, et alias,

*Mitten-*